

D. A. G.  
DISSERTATIONIS ACADEMICÆ,  
De  
**OFFICIO**  
**ORATORIS SACRI**  
IN  
ARGUMENTIS DISPONENDIS,  
PARTICULA POSTERIOR;

---

QUAM  
CONSENSU AMPL. SENAT. PHILOS. IN REG.  
ACAD. ABOËNSI,  
PRÆSIDE  
MAG. HENRICO GABRIELE  
PORTHAN,  
ELOQUENTIÆ PROFESSORE REG. ET ORD.

PRO GRADU  
*Publice examinandam sifit*  
JOHANNES UTTER,  
Satacundensis,  
In AUDITORIO MAJORI Die Novembris  
An. MDCCLXXXI.

H. A. M. C.

---

*A B O Æ,*  
Impressa apud Viduam Reg. Acad. Typ. J. C. FRENCKELL.



### §. VII.

**A**rgumentorum porro excipit *usus & recta conformatio*, quam Rhetores *Contentionem* vocant, tertiamque orationis constituunt partem; eo a nobis minus prætereundam, quod hæc rectissime, *quasi viscera orationis vitamque continere* dicitur. Constat hæc cum *Confirmatione nostræ sententiæ*, tum *Confutatione contrariæ*. Illa semper necessaria est, ut ipsa arx & caput totius instituti; hæc plerumque prætermitti nequit, quamvis non semper illam separatim adhibere opus sit, sed sparsim, ubi res postulat intexi, atque singulis saepè argumentis expoundendis adjungi, aptissime queat. Judicio hic Oratori opus est exquisito, ut in cæteris officiis sui partibus, pro materiaœ occasionisque cuiusvis varia indole, varie tractandis. Est ubi *Confutatio* præcedere debeat *Confirmationem*; quoties videlicet oppositos sententiæ nostræ errores, animos auditorum ita fascinare noverimus, ut omnem argumentis nostris aditum obstruant, adversosque veritati & ab ea alienos reddant: quæ itaque impedimenta diligenter cauteque primum removenda sunt. Est ubi errorum semina quædam, & quasi ocelli radicum noxiarum, in mentibus, licet jam viciis, remaneant, rursum pullulaturi, nisi sollicite inde expurgentur. Quoties igitur, & quo maxime loco nocere opiniones fallæ videntur, semper *Confutationis lacertis evellendæ & ejicendæ* sunt. Sacri Oratoris hostes acerrimi imprimis sunt practici illi errores, atque noxia præjudicia, quæ homines



nes occurrant & a veræ pietatis studio cohibent; quæ itaque diligenter & cognoscere & debellare, falsa qua seducunt specie nudare, & fascinandi potestate efficaciter exuere, studiosissime debet: nisi iis enim viciis, omnino nihil est effecturus. Patet hinc, quam accurata cognitione, cum animi humani in genere, tum auditorum imprimis suorum, Sacro Oratori opus sit; ut obscuros etiam quasi angulos mentium perquirere, latebras detegere, & occultantes sese errorum radices inde evelere valeat. Docet hoc, quanti experientia, quanti observationis diligentia, quanti suæ mentis emendandæ studium, quanti scientiarum subtiliorum tractatio, ad illam facultatem assequendam momenti sint! Alios vero errores, (imprimis theoreticos) quam a quibus aliquid periculi suis maxime auditoribus immineat, non facile adtingat: prudentius vel privatis colloquiis ac disputationibus, ubi opus fuerit, expugnandos, vel singularibus quæ hanc forte operam postulaverint occasionibus, dissolvendos reservaturus. Nullos autem oppugnare aggrediatur, nisi quos victoriosa manu prosternere & potenter obterere valeat: ne optimam caussam debili defensione prodidisse videatur, & suspiciosos adversarios pertinacesque, in erroribus sua culpa confirmet. Quid itaque de eorum audacia censendum, qui ab omnibus fere necessariis subsidiis imparati, ad gravissimum hoc S. Oratoris munus provolant? Et quid mirum, tam paucos hac facultate valere? *Nimirum majus est hoc quiddam, quam homines opinantur, & pluribus ex artibus studiisque collectum, &c.*

(a) Sed in viam redeamus. De Confirmatione ipsa, quæ

---

(a) Cfr. CICERO de Orat. Lib. I, Cap. V. toto; qui etiam merito, L. III. Cap. XXII. *neque enim, inquit, apud homines res est ulla difficilior, neque major, neque quæ plura adjumenta doctrinæ desideret.*

præcipiunt in universum Rethores, nostro quoque esse tenenda, facile intelligitur. Argumentorum nempe collocandorum eum esse eligendum ordinem, qui ad persuadendum maxime sit accommodatus; idque pro suorum præcipue auditorum moribus & ingenii: nec negligendum esse ordinem quem facilior transitus ab uno ad aliud argumentum svadeat, quo coagmententur quasi aptius inter se, & mutuo adjuta robore agant validius: quæ reliquis lucem promittant ac firmitatem, esse his præmittenda; quorum vis aliis nitatur, non nisi fundamentis suis accurate jactis esse his demum superstruenda (cf. supra §. II): fortissima primo fere & postremo loco esse collocanda, debiliora vero in medium conjicienda: ut *imbecillia natura, mutuo auxilio sustineantur* (b). Quamquam vix contingere debere Oratori Sacro videtur, ut opus illi sit argumentis uti debilibus, cum tanta copia suppeditat firmissimorum; nisi quod ingenia auditorum hujusmodi discriminem, inter argumenta per se æque firma, nonnunquam inducant, prudenti Oratori haudquaquam negligendum. Et quæ sunt reliqua hujus generis præcepta prudentiae; de quibus pluribus hic commemorare nihil est necesse. Cfr. ERNESTI Init. Rhet. P. I. S. II. C. IV. §. 215--225.

### §. VIII.

Solent hoc loco Rethores etiam de *Tractatione & Elaboratione Argumentorum*, (sive de *Argumentatione & Amplificatione*, illa imprimis, prudenti & scita ratione instituenda,) præcipere (a). Quam itaque doctrinam, licet accuratius fortassis vel proprio exponendam loco,

vel

(b) Cfr. QUINCTILIANUS *Instit. Orat.* L. V. C. XII.

(a). Vid. VOSSIUS *Commentar. Rhet.* L. III. C. V.

Sect. IV --- VII. Ven: ERNESTI *Inventionis* loco adjungit,

vel partim Inventioni partim Elocutioni subjiciendam, morem quodammodo secuti receptum, hic nos quoque tangemus. Facile igitur cuivis patet, non sufficere oratori *Inventionis* ope silvam argumentorum collegisse, ex qua tanquam ex materie, orationis ædificium sit struendum; neque *Disponendi* cura, quasi Delineationem totius operis suscipiendi, ordinisque rationum collocandarum, concinnasse: sed opus porro esse vel maxime, ut ædificium ipsum solida & decenti compage exstruatur ac perficiatur (b). Atque hoc materiæ suæ quasi usu, imprimis Orator differt a Doctore & Philosopho, inque propriam quandam operis formam concluditur, S. Profanisque Oratoribus communem. Nempe *Philosophi* atque *Oratoris* officium, & auditorum & ipsius consilii diversitate, quo quisque agit, admodum discrepat. Ille auditoribus plerumque acutioribus, cultioris ingenii, pertinaciiori attentioni adstinet, habitu quodam (quem vocant) meditandi præditis, litterarum cognitione instrutis, sententias suas breviter, nervose, idearum enunciationumque universalium & abstractarum adhibito subsilio, terminorum technicorum utens compendiis, propondere, ac nudis ratiociniorum adhibitis lacertis confirmare studet. *Orator* vulgum plerumque, ingenii tardioris hebetiorisque, litteris minus cultum, parum vel diu vel acriter iis quæ dicuntur attentionem animi infigere

C 3

valen-

*Init. Rhet. Part. I. Sect. I. Cap. X. seq. Naturali rei servato ordine, post dispositæ Orationis curam, plene elaborandæ & quasi exstruendæ ejusdem labor excipit.*

(b) CICERO *Orat.* Cap. 27. *Est prudentiæ pene mediocris quid dicendum sit videre; alterum est in quo Oratoris vis illa divina virtusque cernitur, ea quæ dicendi sunt, copiose, ornata, varieque posse dicere!*

valentem, docere, ac fidem illi & obsequium dicendo elicere vel extorquere, necesse habet. Ab ideis itaque abstractis, quantum fieri potest abstinere, terminosque technicos, & scientificam, quam vocant, formam atque subtilitatem, fugere summopere debet; communisque sermonis simplicitatem & consuetudinem, quæ curam tamen, nobilitatem & vim non excludat, imitari (*c*). Summa eum niti ope decet, ut res quam apertissime explanet, ad vulgi etiam sese captum dimittens, & ad ingenia auditorum, probe a se explorata perspectaque, diligenter semet accommodans. Unde dicendi illa copia nascitur, a CICERONE tantopere in Oratore commendata (*d*). Non enim plura tantum argumenta, quam quibus Philosopho opus videri queat, (uno plerumque, si firmum fuerit, contento) adhibere necesse habet, quod in tanta auditorum diversitate non unum omnium æque potenter expugnat animos; sed idem forma etiam exornare alia atque alia, verbis explicare variatis, subsidiis firmare uberioribus, luminibus illustrare pluribus, ratione ipsa atque lege muneris sui cogitur: neque modo ut intelligatur probeturque, sed etiam ut vincat, ut flectat, ut ad agendum auditores impellat, studere debet. Cfr. ERNESTI I. c. §. 127 - 131. Hæc igitur, quibus adminiculis & tanquam machinis efficere feliciter queat, & quam idcirco quasi formam dare tractationi suæ debeat, est quod nobis dispiciendum paucis venit. Tria nempe sunt quæ hoc consilio spectare Oratorem oportet; ut auditores rem quam propo-

(*c*) Facile patet, sermonem hic nobis non esse de orationibus Epidictiticis, ad placendum ac delectandum modo compositis, sed de Pragmaticis, quales sunt Conclaves Sacrae, quas nostra spectat opera.

(*d*) Quæ tamen a vitijsa quorundam loquacitate, puerilique abundantia, permultum differt.

proponit accurate & plene percipient, ut intellectus eorum ad assentum Oratori praebendum cogatur, & ut animus ad obsequium dictis atque monitis ejus praestandum, permovereatur. Quem ut attingat scopum, non Philosophorum more per idearum analysis & acutas definitiones, essentialia rei, quæ vocant, enucleasse & sigillatim indicasse atque quasi annumerasse sufficit; sed ad sensualem formam, quantum fieri possit redigere illam laboret, & tanquam in conspectu animi ponat, ut clare intueri illam valeat. Non enim faciliores tantum sunt vulgo, & magis familiares, representationes rerum intuitivæ, ut loqvuntur, & sensuales, sed etiam natura sua multo vividiores & efficaciores; quod his res sistantur *animis praesentes*, quales ideae solæ eum ad agendum sat potenter movent (e). Quo itaque artificio, sine molestia adhibita attentione ac meditatione auditores et in-dolem cernunt rei, & ejusdem ad se habitum percipiunt atque sentiunt: qui, cum quasi coram spectare & contueri ipsi, quod assentimus videntur, nullum fere aliud, ad assentiendum & obsequendum, præterea argumentum desiderant. Succedit autem ita Oratori hoc consilium, si ideas quas nobis cupit communicare & inculcare, ad similes, quæ nobis jam sint notissimæ, & sensuales, quam proxime adnectat, & ejusdem generis amplificatione adjecta, efficiat ut principales notiones, per claras imagines & picturas, intuitive a nobis cognoscantur ex cuiusmodi singularibus ideis sensualibus cum idea quedam quasi componitur, celerrime illam mens nostra totam complectitur atque spectat, nec potest non

(e) Nota res apud Psychologos. Cfr. v. c. LOCKE de *Intell. Hum.* L. II. C. XXI §. 35 - - - 38. SEARCH T. TUCKER *Light of Nat.* Vol. I. C. VI. §. 13 *sqq.* HOME *Elem. of Criticism*, Vol. I. Ch. II. P. I. Sect. VI.

non vim ejus vivide sentire (f). Per se autem patet, imagines ad rem illustrandam prudenter esse adhibendas, quæ ejus generis singulæ habeant ad animos vim, qualem a principali idea exseri cupiamus. Maximæque præterea est calliditatis, ut ab illis axiomatibus incipiendo, quæ pro indubitatis audientes ipsi habent, seriem idearum, illorum more continuando, Orator ad ea progrediatur, quæ perludere illis velit: ita enim eorum tantummodo ipsorum quasi cogitata persequi videbitur, quo facto sponte sua mentes audientium Oratorem comitabuntur, & ad persuationem lubentes adducentur. Ad quam rem  
præstan-

---

(f) Präclare SULZER Allg. Theorie der Schönen Künste, voc. Lehrende Rede: "Hat der Redner hiezu urtheilskraft genug, so kann er aus den gemeinesten vorstellungen seiner zuhörer eine anzahl solcher aussuchen, die ihnen am öftersten wieder zu sinne kommen; und dadurch hänget er die Wahrheiten, die er vorträgt, an eine menge gemeiner vorstellungen, die beynehe täglich sich in uns erneuern, und eben dadurch auch das Gefühl der damit durch den Redner verbundenen Wahrheiten, wieder erwecken. Hiebey aber hat er wohl zu überlegen, was für eine art Menschen er zu zuhörer hat. Sind es gemeine Menschen, so kann er die ähulichen Fälle und Beispiele mehr anhäufen, und sich länger dabej verweilen, als wenn er stärkere Denker vor sich hat. . . . Eigentlich ist ein Volk erst denn völlig unterrichtet, wenn ihm die nothwendigsten Grundbegriffe und Grundwahrheiten, die einen unmittelbaren einfluss auf sein Betragen haben sollen, so geläufig und so einleuchtend sind, daß jeder sich derselben beynehe stündlich erinnert. Dieses aber kann nur dadurch erhalten werden, daß jene Grundbegriffe durch ählichkeit an alle täglich vorkommende sinnliche Begriffe angehängt werden, und daß auf diese art unsere tägliche Bemerkungen gemeiner Dinge uns durch eine geläufige Analogie auf jene Grundwahrheiten führen."

præstandam acri tamen judicio & accurata cognitione  
ingenii eorum qui audiunt, opus esse, facile intelligi-  
tur (g). Atque hæc omnia multo sane plus ab Oratore  
quam a Philosopho, in hoc opere postulari, evidenter do-  
cent: cum ille, quod hic primis tantum quasi lineis de-  
signat, coloribus etiam aptis inductis pulcre illustrare  
debeat, ac ita Orationem adornare, ut mens audientis  
ad rem plene intelligendam nullum fere adhibere cona-  
tum coacta, totam se vi orationis percellendam subigen-  
damque libere queat permittere (h). Omnem igitur hanc

D

rem

(g) SULZER I. c. Sehr wichtig ist auch dieses für den Redner, daß er die schon einmal festgesetzten und dem ansehen nach unveränderlichen mehnungen seiner zuhörer genau Kenne. Dieses giebt ihm oft den vortheil, das er, anstatt eine wahrheit geradezu zu beweisen, nur zeigen darf, daß sie als ein besonderer fall in den schon festgesetzten urtheil enthalten sey.

(h) Cfr. SULZER I. c. Die sinnlichen vorstellungen müssen denen, für die der Redner arbeiter, schlechterdings sehr bekannt und geläufig seyn, damit sie schnell sich über die ganze vorstellungskraft ausbreiten. Sie müssen also von gemeinen Gegenständen hergenommen werden; und doch müssen sie eine nicht gemeine aufmerksamkeit erwecken. Dieses ist ein schwerer punkt, der einen Redner von Genie erfordert, der dem völlig bekannten den Neiz des Neuen zu geben, und das alltägliche als merkwürdig vorzustellen wisse. Wer sich nicht sehr weit über die gemeine art zu denken erhoben hat, wird hierin nicht glücklich seyn. In den gemeinsten kenntnissen der Menschen, so wie in den gmeinsten Künsten und einrichtungen der Bürgerlichen Ge- sellschaft, kommen unzählige dinge vor, die groß und zum theil bewunderungswürdig sind, und nur deswegen unter der menge unserer vorstellungen unbemerkt liegen bleiben, weil man ihrer gewohnt ist. Nur der, welcher auf die ersten gründe der dinge zurück- gehen kann, sieht sie in ihrer größe. Ein solcher mann muß der

rem duplice illo *Argumentationis & Amplificationis oratoriæ* nomine Rethores comprehendunt: cuius rationem in *universum* accuratius indicare & inculcare, eo magis e re esse duximus, quo saepius ab ea, qui te oratoriæ arti facultatique dedisse fatentur, prorsus aberrant, & muneri huic suo præclare satisfecisse se putant, si Philosophorum tantum more acute, accurate, ordine, confirmare thesin suam valuerint. *Specialius* vero illam, quam *Amplificationis* voce significant partem hoc loco persequi, quod ab *Elocutionis* doctrina divelli nullo pacto possit, merito supersedemus: de *Argumentatione* contra, aptius hic spectanda, adhuc quædam, ad nostri imprimis instituti rationem accommodata, monuisse diligentius, haud inconsultum ducentes.

### §. IX.

*Argumentatio* igitur est, qua ipsa vis & robur argumentorum ad intellectum vincendum atque in assensum trahendum expromitur, quaque demonstratio eorum quæ dicimus, & quasi nervi *Orationis*, proprie continentur; efficiens, ut rem ita se ac Orator dicit habere, nec aliter esse posse, audientium animi sentiant (*a*): sine qua reliquus omnis labor vel amplificandi vel exaggerandi, consilio hominis similis est ædificium superbum fabulo mobili superstruentis. Maxime Orator Sacer, qui non temporarios quosdam subitoque rursus transituros, sed profundos & durabiles in mentibus audientium effectus gignere studet, aures titillasse aut phantasiam oblectasse, satis habere minime debet, sed rationum vi & ponde-

Redner seyn, dessen lehrender vortrag einfach, allgemein, verständlich, und doch von großer kraft seyn soll.

(*a*) ERNESTI I, c. Cap. X. §. 117 & 118.

pondere, per totam vitam hominum animis sentiendo, eos expugnare & tanquam lumine circumdare nitatur, cuius splendor cogitationibus eorum perpetuo adfulgeat & in virtutis via calcanda clare illis præluceat. Sustinet enim illi Doctoris simul personam, quæ paullo propius etiam ad Philosophicam rationem accedere ei interdum permittit, quam veterum illis licebat Oratoribus (*b*); modo ita tamen caute hoc faciat & moderate, ut sui operis generales, quas nuper commendavimus, leges non migret. Logica igitur de docendo ac demonstrando præcepta, ac perspicuitatis & roboris orationi suæ conciliandi consilia, diligenter observet; omni longe rejecta spuma inanum verborum puerilique conclusionum ineptarum fuko; hac cura philosopho nihil cedat, suo licet illo quem indicavimus, non philosophorum more, procedens. *Æque firmo gaudeat rationum robore ac Philosophus; sed non æque abstractarum, nec ad methodi leges æque subtiliter concatenatarum: æque simplicem ac vulgus, sed non æque incuriosum & vacillantem adhibeat argumentandi modum (c).*

D 2

Fundamenta

(*b*) Itaque in S. Oratione, ubi illa præcipue ad docendum composita est, quod non raro obtinet, tolerantur quoque, materiæ indole ita postulante, distinctiones plures & apertiores, ac definitiones paullo breviores & nudiores; modo non sint nimis vel multæ vel subtile, quales etiam in cathedra Academica adhibitæ memoriam sæpe plus onerant quam adjuvant, mentemque fatigant magis quam illustrant. Multo minus Conciones imitentur Tabulas quasdam synopticas, ut quorundam perversus fert utsus, skeleton quasi quoddam orationis componentium aridum & nudum, sine succo, sine sanguine vel carne; quorum sermones non inutiles minus esse solent, quam injucundi atque tædii pleni.

(*c*) SULZER l. c. voc. Beweisarten.

Fundamenta igitur non ponat nisi solida & apta; quaque elegerit assertorum suorum rationes, eas ita explicare & adornare noverit, ut luce radiare clarissima singulae videantur. Quia vero duplicis generis S. Oratori argumenta tractanda sunt, partim *S. Scripturæ oraculis*, partim *ratiociniorum fulcris nixo*; quod ad illa quidem attinet, non modo dictum S. Codicis ad rem quam proponit aptum & vere pertinens, sollicito ejus præmisslo examine afferre debet, (qua in re quam misere & turpiter sæpe peccatur!), sed vim etiam ac nervum, qui ei inest probandi, perspicue demonstrare, ut sentiant assensum suum potenter cogi qui audiunt (*d*). *Ratiocinia autem*, (quorum nullum est genus, quo non possit recte uti), neque *formæ* licet neque *materiæ*, ut loquuntur, violatis legibus, Orator liberiori tamen & laxiori quasi habitu induit, a Rhetoribus passim definito: ne vel specie jejuna audientibus displiceant, vel, quod sæpe monuimus, mentes, nexui veritatum universalium acute perspiciendo minus adservas, nimia subtilitate fatigent. Quam etiam ob rem, vel ideas ad prima usque sua quasi stamina persequi, vel ratiociniorum seriem ad universalissima principia perducere, omnino est ab ejus popularitate alienum. *Syllogismum* adhibere quoties opus est, in *Epiche rema* fere mutare novit, in cuius singulis *premissis*, quas vocant, accurate copioseque exponendis, illustrandis & confirmandis tamdiu commoratur, donec nulla vel obscuritatis vel dubitationis umbra relicta, conclusionis vim  
recu-

(*d*) Quæ magis ornandi caussa & quasi in transcurso interdum allegantur dicta S. S. hic non spectari, sed argumentorum loco adhibita, ex quibus ipsa demonstratio ducitur, vix monere opus. Sed tamen illa etiam non temere arripi, verum judicio adhibito feligi debent, ne alienis omnino locis inepte ac imperite intrudantur.

recusandi nulla potestas, nulla calumniandi, nulla elaben-  
di rima superesse amplius videatur (*e*). Quæ in *Enthy-*  
*mamate* quoque adornando, cum illo utendum sibi esse judi-  
cat, similiter observat. Ad *Inductionis* vero opem, utpote  
facillimæ & magis popularis, lubentissime confugit; *ex-*  
*emplorum similiumque aptorum enumeratione vivida*, men-  
tes auditorum ad assensum felicissimie adducens (*f*). *A-*  
*nalogiam modo quandam factorum rerumque spectans*,  
conclusionem suam sæpius repetendi occasionem hinc  
nanciscitur; quia ex singulis factis similibus, quorum  
quodque peculiarem vim sensualem exserit, eadem sem-  
per efficitur. Unde illud ei commodi enascitur, ut in  
eadem possit veritate exponenda diutius commorari, plu-  
ra ejus quasi latera spectanda obvertere, & eo illam ef-  
ficacius animis imprimere. In quo simul repræsentationes  
phantasiæ grayissimas cum sensu quodam animi callide  
studeat connectere; quod nec difficile est, cum quid-  
quid in salutem felicitatemque hominum insignem habe-  
re vim videatur, viri honesti sensum non possit non mox  
excitare. Oratoris autem ipsius perswasio vivida, si au-  
D 3 ditori.

---

(*e*) Cfr. CICERO de *Invent.* L. I. C. 34-42; qui *E-*  
*picherematis* quidem vocabulo non utitur, sed *Ratiocin-*  
*nationem* vocans, conformationem tamen ejus præclare  
describit: nec non ERNESTI l. c. §. §. 121, 122, 133.

(*f*) ERNESTI l. c. C. XI. §. 140, rectissime, *Exem-*  
*pli*, inquit *exornatio cernitur primo, in copia idonea dele-*  
*torum factorum, consuetudinum, legum, dictorum: deinde*  
*in exemplis istis, ceterisque, sententiarum adjunctione ju-*  
*vandis, & urgendis: quod fit ratione reddenda e natura re-*  
*rum, cur ita fiat, factumque sit, vel præceptis morum, cur*  
*ita fieri debeat, aut debuerit, vel potuerit. Hoc plerumque*  
*negligitur a dicentibus: sed in eo est & ornatus, & vis ma-*  
*xima in argumentando.* Cfr. CICERO l. c. C. 32.

ditoribus eandem sentiendam præbere valuerit, sæpe non minus efficit quam argumentum lucidissimum. Etiam acuti homines vix dubitare de rebus audent, quas alios, non minus acutos viros, firmissima persvassione amplecti vident; plebs autem nullo modo eo audaciæ procedendum sibi judicat. Ubi itaque rationes præterea accesserint planæ & graves, certus esse Orator potest de animis auditorum suorum feliciter vincendis (g). Quare magni est utique momenti, ut Sacer imprimis Orator ipse persvassionem non levibus temere argumentis superstructam, sed exquisitæ & accuratæ meditationis diligentia nixam, ad hoc opus adferat: alienisque ab officio suo consiliis quibuscumque rejectis, nullum sibi aliud proponat scopum, quam illum cui feliciter adtingendo, & hæc opera sua unice dicata & totum munus suum consecratum, esse debeat (h).

## §. X.

---

(g) SULZER I. c. voc. *Lehrende Nebe*. Quadrat ad hanc rem quod dicit CICERO de *Invent.* L. I. C. XVII. *Auditor cum eum quem adversarii perturbatum putant oratione, videt animo firmissimo contradicere paratum, plerunque se potius temere ad sensisse, quam illum sine causa confidere, arbitratur.*

(h) Ad veram Tractationis, & specialiter etiam Argumentationis oratoriaæ indolem discendam, & exemplum quod hac in parte imitatione diligenter exprimere studeant, cognoscendum, utilius fuerit Eloquentiæ, etiam Sacrae, studiosis, DEMOSTHENIS & CICERONIS Orationes legisse & accurata meditatione trivisse, quam plurimas evolvisse sic dictas postillas, sæpe jejunas & aridas, sæpe eruditionis intempestiva affectatione plebis captui minime accommodatas, sæpe verbositate parum castigata disfluentes, sæpe vaga & mystica elocutione obscuras,

Aliis Orationis partibus percursis, ut de postrema, quam *Epilogum* vocant, agamus, superest; quæ necessaria est, non modo ne extremo veluti articulo truncata appareat oratio, sed etiam, quod aptissimam præbet facultatem, quæ dicta latius sunt, quasi in compendium redigendi, & efficaciter cum memoria, tum animo auditorum inculcandi ac imprimendi. Partes ejus sunt, ex doctrina Rhetorum, imprimis duæ, *Recapitulatio* & *Affluuum Commotio*. Magnæ utraque utilitatis S. Oratori est; ac illa tum quidem præcipue, si oratione longiore caput aliquod Religionis Christianæ explicuit: quo facto, latius propositæ & clare jam descriptæ stabilitæque doctrinæ, quasi tota regio, quam longiore itinere sensim hactenus percurrimus, in paryam imaginem contracta, unica tabula spectanda utilissime sicutur. Quamdiu successive & per partes propositio confirmata fuit, nullus quasi articulus orationis solus ad totam rem demonstrandam suffeci fuit; cum vero omnes partes ad unam ideam efficiendam principalem conjunguntur, communem vim omnium complectentem, ac propositionem cum plena sua demonstratione sistentem; tum demum finis orationis primarius sufficienter obtinetur. Recte igitur, hic, si us-  
quam

multisque aliis vitiis a recta ratione oratoria quam alienissimas; quibus imitandis multi Oratores S. veræ Eloquentiæ viam prorsus deferunt. Paucæ tamen, recentioribus temporibus editæ, excipiendæ sunt. Nimis facile putant multi, ad populum recte verba facere; eamque ob rem orationes quoque hujus generis nimis festinant in publicum edere. Res vero est, quæ ut felicissimo fiat successu, acre judicium, elegans ingenium, doctrinam accuratam, & multam industriam requirit.

quam totos esse eloquentiae fontes aperiendos, QUINCTILI-  
ANUS judicat (*a*). Et ab hac parte imprimis orationis  
succesum pendere, censem Rethores (*b*). Argumenta  
autem non langvide aut nude colligantur, ac quasi nu-  
merentur; sed vivide ac fortiter congregantur, sententi-  
arum novarum & gravissimarum pondere adjuta: nec  
diu cuique inhærendum, ne in alteram orationem Epilo-  
gus monströse excrevisse videatur; sed ex confertim  
densatorum vi, persuadendi efficacitas speranda. Itaque  
nec singula orationis momenta repetantur, sed illa præ-  
cipue, quæ maxime illustria & validissima sunt, atque  
proxime ad scopum propositum tendunt. *Commotio af-*  
*fectuum* quibus adminiculis adjuvari possit, explicare jam  
nihil opus est; quod alio loco rectius docetur (*c*). Cui  
rei summo sane studio, in hac imprimis parte incum-  
bere oratorem oportet; ut auditores de veritate assertor-  
um suorum plene jam edoctos, ad obsequii quoque di-  
ctis suis præstandi conatum permovere valeat. Non e-  
nim ei perinde est, utrum intellectu tantum comprehen-  
sa veritas, intra illius aslensum gignendum subsistat, an  
animi quoque sensu concepta, vi in hunc agat efficaci,  
itaque ei imprimatur, ut durabiles quasi aculeos relinquens,  
totius vitæ agendæ propositum ac studium efformet.  
Quam rationem et si ubique sequi debet, tamen nullo lo-  
co neque aptiorem neque magis necessariam esse, res i-  
psa loquitur. Hic enim jam quasi conclusio ex omni-  
bus ante dictis formanda est, hic mentes auditorum Ora-  
tor

(*a*) *De Instit. Orat.* L. VI. C. 1. fin.

(*b*) Cfr. SULZER I. c. voc. *Beschluß*.

(*c*) Cfr. si placet Celeb. SULZER I. c. voce. *Leiden-  
schaften, & Lehrende Rede;* nec non *Diss. de Officio Oratoris  
S. in argumentis inveniendis*, hic Aboæ a. 1778. a Plur.  
Rev. & Pracl. Dn. Mag. RYDMAN editæ, §. III.

tōr habet sufficienter præparatas; atque jam dimittendas tales, quales illas esse & permanere velit. Quod ad illam specialiter attinet formam, quam vel *Uſus* vel *Applicatio-*  
*nis* nomine Epilogo suo Concionatores Sacri dare solent; necessarium minime est, ut ubique obſervetur. Et no-  
men & res ab *Analyticarum* imprimis & *Dogmatica-*  
*rum Concionum* more exſtitit; in quibus, textus vel  
thematis explicatione prämissa, uſum aliquem, ad audito-  
res ab illo ita tractato redundantem indicare, necessarium  
putabatur, ne plane sterilis iſta opera videretur (*d*). Quod  
itaque institutum, in Orationibus S. syntheticis & practi-  
cis non æque commode locum invenit. Distributio au-  
ditorum in certas clasēs, atque generaliter in contentio-  
ne dictorum facta ad singulas, specialis in parte Epilogi  
posteriore *Applicatio*, interdum utique apta est & utilis;  
argumento concionis, maxime didactico, ita ferente; sed  
neque necessaria ſemper, neque etiam omni materiaꝝ ſatis  
conveniens (*e*). Cogere itaque omnes Epilogos ad hanc

E

for-

(*d*) Illum uſum, ſive illos *Uſus*, (namque notum eſt, quin-  
quefariam fere conſerveſſe diſpēſci), nunc ſingulis mox  
ſubjiciebant Concionis partibus, nunc ad finem tracta-  
tionis rejiciebant. *Orationum* nomine tales homilias pro-  
prie ſemper venire non poſſe, facile intelligitur.

(*e*) Quod idem ſtatuendum de illa ſpeciali parte E-  
pilogi, quam inter iſtam *Auditorum in Clasēs* quasdam  
*Distributionem*, & dictorum ad quamvis earum *Applica-*  
*tionem*, ſolent interponere, quaque ſingulos ad conditio-  
nem mentis ſuā *explorandam* adhortari atque adducere  
ſtudent. Namque ſi in Contentione ſatis accurate & de-  
finite, ad quod genus hominum Oratio imprimis perti-  
neat, demonstratum fuerit; ſpeciali iſta cura non æque  
opus eſt, ac in applicando themate mere dogmatico, (cu-  
juſmodi adhibendorum morem, niſi ad praxin mox dis-

formam studere, ineptissimum est: quæ etiam nonnunquam, (nisi tectius adhibeatur), distributionis istius subtili ac didacticō more solvit *Perorationis* vim, & unitatem illam ejus, dictorumque omnium in unicam quasi primariam representationem, conjunctionem, affectuum vi efficaciter adjuvandam, (in qua summam positam esse laudem Epilogi docuimus), interturbat. In genere observamus, ineptias redolere, si quis omnia argumenta velit ad unam tractationis formam quincunque cogere, & eam tanquam perpetuam normam exacte sequi. Quare hac in parte, ut in aliis, (salvis modo generalibus quas attulimus Epilogorum condendorum legibus) Oratori ipsi, judicio & ingenio prædicto, debitaque cognitione & eruditione instructo, definiendum relinquimus, quid quovis loco, cuivis argumento, atque cuiuslibet orationis rationi, convenientissimum & opportunissimum reperierit (f).

ligenter conferantur, cordati harum rerum arbitri minus laudant). Sæpe in applicanda aliqua doctrina ad unum modo genus, tota concio recte potest versari; neque omnino necesse est, ut omnia genera in quovis Epilogo semper quasi lustrentur. Sæpe, quod nimis multas classes Orator complectitur, nonnisi pauca ad quamvis verba facere potest: qualis opera brevis ac defunctionaria, tanto consilio minime satisfacit Etc.

(f) Quare dicit PONTOPPIDAN, *Colleg. Past. Praæt.* Cap. XXX. Fråge wi hwad Epilogi egenteliga innehåll bör vara, så swaras i allmänhet, at deruti, likasom i det öfriga af Predikan, ej bör vara något twång til wiža regor, utan Predikanten behålla sin frihet, at handla nu så, nu annorlunda, hälst då alla texter eller themata ej låta sig afhandlas på et sätt; hwarfore deras slut ej heller kan astid vara af en inrättning. P. 276, Ed. Svec.